

**Disputatio medica inauguralis de causo ... / Eruditorum examini submittit
Henricus Cramer.**

Contributors

Cramer, Henricus.
Boerhaave, Herman, 1668-1738.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud S. Luchtmans, [1714]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gh4cz75p>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE
C A U S O.

QUAM

Annuente Deo Opt. Max.

Ex auctoritate Magnifici Reſtoris

D. HERMANNI BOERHAAVE,
A. L. M. PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, HU-
JUSQUE ET BOTANICES IN ACADEMIA LUGDUNO-
BATAVA PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

*Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Nobiliſſimae Facul-
tatis MEDICINAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in **MEDICINA** Honoribus, & Privilegiis ritè
ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

HENRICUS CRAMER. Hammonâ-Marcanus.

Ad diem 8. Novembris 1714. horâ locoque ſolitis.



J. Goense fecit.

UNIVERSITATIS
IN AUCTORITATE
D. S.
C. A. U. S. O.
DISPUTATIO
Auctoris D. J. P. A. M.
Auctoris D. J. P. A. M.
D. HERMANNI BOERHAAVE.
A. E. M. PHILOSOPHIC ET MEDICINAE DOCTORIS, HU-
JESQUE ET BOTANICES IN ACADEMIA LUGDUNO-
BATAVA PROFESSORIS ORDINARIJ,
H. B. O. N.
Academiae Scientiarum, Artium, & Medicinarum Socius.
H. B. O. N.
PRO GRADU DOCTORATUS.
Sammittitur in M. P. T. A. Honoribus, & Privilegiis suis
ac legitimis concedendis,
H. B. O. N.
HENRIJUS CRAMERUS, Praesens, M. P. T. A.
H. B. O. N.





DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

C A U S O.

§. I.



Lector, conscribam hæc ut legi Academicæ obnoxius; nequaquam verò, ut novi quid, aut aliis non dictum prius proponens, nomen inter Auctores ambiam. Pulchrius novi quam sit in meis facultatibus parum, quam ut post Bonos quosque inani docendi studio ferar. Hæc itaque præfatus veniam merebor, si pecco: nam probata aliis experimentorum fide enarrabo, qui si errant, unde corrigam?

§. 2.

Thema autem ex monumentis Medicis petivi illud, quod frequens

A 2

quens

quens admodum est generi humano, quodque simul ut infestat, atrocitate suâ tam terribile habetur, ut sæpius immedicabile, semper summam requirat prudentiam Medici sapientis, ut in principiis coërceat queat; ubi nempe adolevit vix suprahumanâ sanatur vel Hippocratis arte. Quæ dum apud Principes scientiæ legerem, incitabar horum super his mentem aperire: inprimis quidem, quando perspiciebam simul eos monere morborum sævissimos eâ affinitate illi malo jungi, ut ejus intellectus plurimorum indolem expediret, ejus autem curatio aperiret viam, quâ itur in sanationem quamplurimorum, qui optimum Medicum frequenter fatigant.

§. 3.

Quid ergo? *Febrim* describam *Ardentem* dictam Latinis. Sic nempe græcum interpretati sunt sensum; qui dixerunt πῦρ (ignem) per excellentiam inter πυρετός (febres.) Ut in Epidemicis Hippocrates frequentissimè. Licet enim Galenus passim vocem illam adstringat illi significationi, quam circumscriptione πυρετῆ σφοδρατά, ἢ πυρωδεστά (febris vehementissimæ & maximæ igneæ) explicat: tamen prudenti comparatione facile apparet febrim ardentem Illi πῦρ appellari. Vocabatur etiam καῦσῶ, καύσων, πυρετὸς καυσώδης, derivatione factâ à primaria voce καίω υιο.

§. 4.

Quare constat agnovisse Veteres in hoc morbo talem rerum apparentium faciem, qualis nasci solet ab ipsa ignis in corpus humanum actione, neque injuria: id enim apprimè verum habendum docebit sequutura jam morbi historia.

§. 5.

Quæ ut clarior habeatur, sciendum est Priscos aperuisse nobis duplicem speciem febris, cui utrique jure dabatur idem modò dictum nomen; ita tamen ut in cognitione, atque curatione
utrius-

utriusque aliqua observaretur distinctio. Vocabant ergo *febrim ardentem Exquisitam* illam, quæ ardentissimè urebat, & sitim addebat inexplebilem, quamdiu mens ægroti nondum eousque ægrotabat, ut causam fitis agentem non sentiret. Verum Iidem *Spuriam* dixere hanc, quæ mitior priore erat in omnibus suis plænomenis. Vide, si placet, Galenum disertissimè hæc enarrantem *Comment. 4. in lib. de victu acutorum*. Intelligis autem quam facillimè, priore intellectâ nosci sponte suâ posteriorem, & in curando mitiora tantum petere remedia.

§. 6.

Morbus autem proprius fere est illi ætati mortalium in qua corpora maximo robore præstant, humores possident validos, & calore vitali imprimis eccellente aguntur. Hinc non adeò pueros infestat vel adolescentulos; rarissimè vero senili decrepitorum capiti nocet; contrà verò ab anno ætatis XX. ad L. usque præ cæteris solet debacchari.

§. 7.

Quin & ea corpora, quæ laxiori fibrarum compage & solutis maximè humoribus constant, libera sunt ut plurimum à sævitie hujus ignis. Hinc fœminæ longè minus, quam viri, hæc mali specie affliguntur. Quin imò integræ nationes inde plus, minusve obnoxix deprehenduntur febrì huic, prout sicciori, calidiorique, aut humidiori vel frigidiori temperie subjiuntur. Inde contingit, ut, si omnia ponuntur communia, Itali, Hispani, Galli citeriores, longè plus doleant ex hoc morbo, quam boreales orbis incolæ.

§. 8.

Tandem observatum habetur & illud; quod illi homines, quorum membra duro labore exercitata, & ferme fracta spectantur, imprimis disponantur, ut à paribus causis violentiorem hunc morbum accipiant, quam illi, qui in molli otio suaviter dor-

dormiunt. Rusticis ergò, militibus, servis, ex hoc capite, frequentissima poena est, fatigati nimium corporis.

§. 9.

Ex quibus concludere licet, illa primariò corpora ad febrim hanc excipiendam prædisposita esse, in quibus 1. humores sunt densi, compacti, acres, simulque oleosi; 2. viscera verò & vasa totius corporis densa, callosa, fortia, contracta, dura, rigida; 3. motus autem humorum per viscera & vasa validus.

§. 10.

Quum verò enarratæ dispositioni creandæ ingens diversarum causarum numerus sufficiat; quarum hæc nunc, aliæ aliàs, agant; oportebit generalia harum capita sic perlustrare, ut intelligamus remotas tantæ malignitatis causas, atque proinde postea vera fundamenta jaciamus inædificandæ bonæ *προφυλάξεi*.

§. 11.

Proinde ætate descriptâ (6.) si corpus ad febrim ardentem gi-
gnendam prædispositum (9.) violentissimo, subito, diu continua-
to, motu exagitur: interimque summoperè sitiens nihil bi-
bit; maximè si hoc contigerit in arenosis desertis, urente sole;
fueritque simul austrina tempestas; tum fere semper, & indu-
bitatò occupabitur ab hoc morbo, eâ tamen lege, ut rarò tum
cum frigore, vel rigore, inchœtur, sed tantum maneat quasi
æstus continuatus, quem ingens motus conciliaverat. Quod si
homo sic affectus quiescens gelidam hausit, in frigidam subito
se demersit, aut auram frigidioris venti incautus excepit corpo-
re, idem quidem orietur malum, sed tamen post prægressum
demum frigus, intolerabili dein æstu infaustum. Observavit
autem sedula sapientia nullum excessum motus, magis excitare
ardentem febrim, quam fervidam æstuantis libidinis exercita-
tionem nimiam regnante caniculâ; unde eam cane pejus & an-
gue vitant calidarum regionum Incolæ, ut nimis notum ubique
est. Quin etiam animi affectus nimis incitati, maximè furibunda
ita,

ita, aut sævus amor, toties in circumstantiis dictis excitaverunt ineluctabile hoc malum. Nec verò acre nimis studium sapientiæ & literarum, ardore nunquam remissio cultum, inculpatum adeò ut non quandoque defierit in eundem morbum: quamvis fateri oporteat raram hanc esse, si comparatur reliquis, hujus morbi causam. Visum quoque originem malo illi dedisse sæpenumerò nimis largum usum ciborum, potuum, condimentorum, medicamentorum, venenorumque; quæ validè acria, valde pingua, faciliè putrescentia, multum calefacientia, cognoscuntur. Vis enumerem? multa sunt. Verbo, carnes, piscesque pingues, semiputridi, imprimis piscium jecora, & adeps; omnium autem maximè, si hæc multo oleo aut butyro, frixa sunt, acerrimisque dein aromatibus respersa. Vina generosa, dulcia, calida, horum electi destillatione spiritus, aromatica orientalia olea illis permista, quæ sanè quam citissimè morbum dictum creant. Deinde ex vegetabilibus omnia illa, in quibus uberrimum oleum suppetit & acerrimus sal, quæ aromata ars vocavit, varia illa sunt, ut in Europa allium, cepæ, cochlearia, lepidium, nasturtium, raphani hortenses & aquatici, ruta, sinapi, & multa alia, in Asia & America alia, ut cinnamomum, macis, nux myristica, caryophyllus, zingiber, piper, costus, cortex winteranus &c. Medicamenta autem & venena etiam varia hic peccant, ut de euphorbio, esula, scammonio, helleboro & innumerabilibus aliis constat. Si autem externè cuti applicantur incautè olea acria, exustave, producunt sæpè talem febrim, partim quidem, quatenus inflammationem in loco excitant, partim quatenus per vascula introducentia cruori, & inde humoribus, mista internè similes phlogoses creant. Unde olea stillatitia ex quibuscunque animalium, vel vegetantium partibus igne elicita cautissimè usurpanda, præprimis in his qui febribus jam vexantur: ita & aliquando cantharides intempestivè applicitæ duris, siccis, calidis, febricitantibus, corporibus suscitavere ardores, sitim, febrim ardentem. Denique post retentos humores ferventes, motosque, biliosos, ichorosos, purulentos, atrabilarios, sæpius hic morbus vitedatur oriri; quod præ cæteris tum contingebat, quando humores illi acerrimi

erant

erant, & jam in motum parati, aut dudum fluentes: tum enim impeditæ ab exitu partes molli humorum vitalium immixtæ, visceribus intimis ingestæ, furibundos hujusmodi motus procreare observatæ sunt. Ultimò tandem omnes casus, in quibus humores orbantur partibus tenuissimis, blandis, diluentibus, solent Causum facere, quatenus humor residuus crassus, acerque, motum turbat. Hinc post sudores eximios, salivæ excretiones validissimas, urinæ secessum copiosissimum; ingens ichorosæ materiæ stillicidium, Causon observatur accidere. Sunt autem præter enarrata hæc & alia, quæ funguntur vice causarum, multa quidem, verum tamen ad modo dictas satis facilè revocari queunt.

§. 12.

Si jam aliqua singularis, vel plurimæ simul; illarum causarum (11.) fortiter egerint in corpus prius eò prædispositum (6. 7. 8. 9.) orietur Causos; in cujus historia describenda diversa tempora consideranda, utpote in quibus ingens deprehenditur phænomenon varietas. Itaque 1. oritur languor, debilitas, lassitudo, sensus gravis per artus ponderis, dolor obtusus ad omnes fere musculos & juncturas, siccitas, sitis, calor. Si febris oritur ex continuato motu, nullum deprehenditur frigus; aliter, si post interpositam quietem demum accenditur, horror, & frigus ingens, in initio invadentis mali præcedunt. 2. Omnia illa augentur citissimè, assiduò & vehementissimè; ita ut ardor fiat immensus, attrectantium digitis molestus valde, & ægro ipsi intolerabilis planè; tum sitis in immanem & inexplebilem mutatur; lingua scabra, arida, squallida fit, simulque tota cutis uritur & arefcit; in capite dolor summus, in lumbis ingens; sensim circa præcordia anxietas quasi suffocans, cum nausea perpetua & vomitu frequenti; accedit maxima inquietudo, corporisque assidua & indecora jactatio; hinc os, fauces, nares, cava œsophagi, ventriculi, intestinorum, exsiccantur, contrahuntur, sordescunt, fusca, nigra, sæpè foetida fiunt; urina interim parca, prærubra, crassa, urgens assiduò minimâ copiâ, urensque, dum redditur; alvus frequentissimè sicca nihil deponit;

nit; interimque biliosa putrida materies sæpè vomitu expellitur. 3. Evadunt omnia symptomata sensim atrocissima ita, ut integumenta narium, oris, faucium, cutisque tota præ æstu & ariditate, rigescant, colorem cadaverosum acquirant, dum interim extrema frigent, dum circa vitalia æstus fervet; vox clangosa cum delirio violento; sputa nulla, vel crassa, dura, putrida, nigra; urina paucissima, flammea, foetida, spumæ suæ tenacissima, sine sedimento ullo, interim sæpè valde turbata; fœx alvi arida, nigra, exusta, vel foetidissima, liquidissima, ichorosa; fitis immanis; detestatio omnis cibi; appetitus aquæ, frigidaë, acidæ, puræ; nausæ detestabiles, vomitus, singultus; hypochondria dura, subdolentia; phrenitis; oculi truces, pulverulenti, lamentosi; respiratio omnimodo mala; pulsus omni indicio varius admodum & malus; inde sæpè tremor, convulsio, mors; toto morbi decursu diebus imparibus fere est exacerbatio.

§. 13.

Morbus jam natus beneficio naturæ sanari visus sæpe est 1. per largam valde hæmorrhagiam narium contingentem tertio, quinto, vel septimo, imprimis die morbi. Hæc namque desperatissimos liberavit, nec ullo modo sistenda est. Prænoscitur futura, si ægro cervix multum dolet, gravitas & hebetudo cum pulsu sentiuntur circa tempora, si tenebricosa vertigo ante oculos oberrat, si præcordia valde inflata apparent absque dolore, si lacrymæ spontaneæ sine concomitante signo lethali, si facies admodum rubet, si nares assiduè pruriunt, sæpèque sternutant. Verum si hæmorrhagia tertio vel quarto die parca, stillans, cum sanguine exusto, accidit semper ferme lethalis est. 2. Si ingens, liberans, facilis, vomitus, diebus dictis supervenit, & tum sæpe feliciter solvitur. 3. Quandoque etiam superveniente largâ, facili, durante, flavâ mucosâ diarrhæâ, ante diem sextum tollitur. 4. Ubi die decretorio. ingens, continuatus, toto corpore æquabilis, calidus, viscosus, liberans, sudor effluit sæpenumero ilicò sanat. 5. Quod idem sperandum, si in iisdem circumstantiis urina talis fluxerit copiosa, crassa, assidua, stranguriosa, liberans. ¶6.

Quin & crasso sputo diu excreato morbus cessisse describitur. Quæ solutiones sere semper, magno prægresso rigore contingunt.

§. 14.

Atque uti salubria illa (13.) accidunt, sic & pessimè agitur ubi morbus in mortem tendit, quod ipsum etiam suis se signis prodit, quorum hæc primaria censentur. Acerbatio die pari accidens ante diem sextum. Deglutitio læsa sensim magis, tandem destructa. Refrigeratio extremorum cum lento sudore frigida, Facies prærubra & sudans. Parotis, bubo, anthrax, sine ulla suppuratione vehemens. Stillicidium parcum ex naribus. Hæmoptoë. Mictus cruentus. Urina nigra, parca, tenuis, fœtens. Alvus solutissima liquidas, olidissimas fæces dimittens. Ingentia tormina alvi prægressa. Tremor primò, mox delirium, hinc convulsio. Delirium cum superveniente mox peripneumonia. Nam post hæc morstertio, & quarto die, ut plurimum, septimum autem rarissimè transit, si exquisita fuerit.

§. 15.

Quod si malignitas quidem hujus mali fuerit ingens, nec perfectè contigerit aliquid salubre (13.), simulque tamen febris non fuerit stipata signis certò lethalibus (14.), aut etiam si neglecta sit, aut malè tractata, tum sæpe depravati humores obsident aliquam corporis partem, eam corrumpunt, & pariunt morbos admodum varios pro diversitate vel materiæ depositæ, vel ipsius partis materiâ occupatæ. Hos non recensebo: nam egrederer limites dissertationi præfixos. Hippocratem lege, evolve Galenum, invenies quod quæris. Præter hos reliqui vix boni, Forrestum, paucosque alios, exipias.

§. 16.

Si autem animo attento cuncta hæc consideras, judicabis forte de indole hujus mali. Certè videntur omnia indicare, quod causa proxima morbi sit humor densus; inflammatoriè crassus; tenui

tenui blando carens; sale. oleo, terrâ, intimè permistis acer; vasa stricta; interimque robur vitale adhuc forte.

§. 17.

Et prænunciare futura licet ex iis, quæ jam descripsi (6 ad 16.). Considera causas *πενηγυμέναις* (6. 7. 8. 9.), & *πεγκαταρτυκῆς* (10. 11.), status diversos (12.), signaque salubria (13.), vel lethalia (14.), aut dubia (15.), nec difficile erit singula eruere. Mihi autem supervacaneum videtur, omnia illa inani *ἀκριβείᾳ* repetere, Tibique, & mihi fastidium parare & tædium.

§. 18.

Satius est videre, quid Historia morbi doceat agendum, ut curetur. at paucis. compendio igitur. Humores omnes debent dilui, resolvi, leniri, rariores reddi. Vasa, viscera, stamina. emolliri, laxari, ab obstruente liberari debent. Vires autem totius corporis effrenatæ ruentes compeisci, minui, in ordinem redigi, debebunt.

§. 19.

Statim ergo æger locandus in loco quieto omnino, obscuro, moderatè frigido, aëre puro assiduè renovato perflato; ne utique verò intra angustæ lecticæ cortinas coërcendus, & foeditate propriarum exhalationum obruendus. Laudabo, si pavimentum frigidâ irroraveris; oxyrrhodino sparso humectaveris; sambuci, salicis, aut populi, ramis frigidæ immixtis ornaveris. In tali loco æger in sedili erectus sedeat potius, si ferunt vires, quam ut in rectum jaceat; nam incredibiliter prodest capiti tuendo à phrenitide hîc tam frequenti. Noctu decumbat elevato capite & thorace, supra coriaceam culcitram potius quam in plumis. Stragula sint pauca, levia, arcendo frigori apta, non ut pondere ægrum fatigent, suffocent, corpusque ejus comprimant, vasa angustent, ardorem augeant. Mane & vesperi spatium horæ, mittat crura & pedes in tepidam paxillo aceti fam-

blicini perfusam, & nitro adjecto incitatam. Noctes, diesque, ubi ex balneo surrexit applicet cavis pedum, & poplitum, fermentum secalinum pistorium, aceto & nitro conditum. Capiti impositas semper gerat placentas ex floribus rosarum aceto sambuci & rosaceo irroratas. Potus sit copiosus, frequens, aquosus, blandus, acidulus, calidus. Serum lactis, lac ebutyratum, decoctum hordei, infusio Coffe, cerevisia tenuis, recens, hydrogala ex lacte cum quadruplo aquæ diluto, conducunt. Possunt & gratissimi his ægris concinnari variis modis.

Ex gr. ℞. Avenæ excorticat. ℥β.

Hordei mundat. ℥j.

Fol. recent. Malv. m. j.

Cum aq. decoct. spatio $\frac{1}{2}$ horæ ℥ iv. admisce

Nitri puri ℥j.

Succ. Citri rec. pressi ℥iβ.

Rob. de Ribes. unc. ij.

Vin. Rhenan. unc. iij.

Cibi exhibeantur diluti, leves, farinosi, aciduli, paululum saliti, facti ex avena, hordeo, milio, oryza, pane, fructibus horæis maturis acidulis, coquendo parati; qui dentur parcâ manu, sæpè repetantur. Nec in his parandis, tutòque exhibendis, magna difficultas est. Exemplum do.

℞. Avenæ excorticat. unc. β.

Lactis ebutyrat. recentiss. ℥iβ.

Coque spatio $\frac{1}{2}$ horæ, Cola per setaceum, dein pauca grana salis admisc. Vel

℞. Seri lact. recent. ℥ij.

Pomor. acidul. recent. conscissor. à conceptaculis & cortice depurat. ℥iv.

Coq. spatio i. horæ, contere.

Sed varia possunt excogitari utilia pariter & grata. Interim totâ die cogitet de humectando corpore, illique operi incumbat sedulò. Huc & multa egregia conducunt. Ut in Exempl.

℞. Fol. recent. Altheæ

Parietar $\frac{1}{aa}$ M. iij.

Flor. Altheæ. ℥ij.

Sem. contus. Lini ℥β.

Cum

Cum aq. decoct. per hor. iß. Tum

Decoct. ℥vj. admisc.

Nitr. puri ℥ß.

Mell. Mercurial. ℥ij.

Ex hoc liquore injiciatur clyfma duodecimâ quâque horâ ad unc. xij. Eodem liquore colluat affiduè os, idemque eo foveat, quin & fauces eluat gargarifando; tum etiam liquore hoc calido fpongii excepto humectet nares, & earum latibula mucosa, attrahendo vapores ejus tepefactos. Prodest etiam inguinibus, axillis, locis circa aurem fongias fimili humore madidas appofitas habere. Corpus in vapore tepidæ ritè applicato tenere egregium est; idem verò in balneum immergere anceps, & læpè damnofum, puto.

§. 20.

Miraris fortè quod cruoris miffionem nondum commendaverim. Deliberato id confilio egi. nam nescio an ita bene conducatur homini, cujus fanguis exuftus quali est. Rationes poffem dare quam plurimas, fed divagarer nimium. Si vocabor in initio incipientis mali, & plenitudinem vaforum ingentem advertam cum magno tumore eorundem, tumque fimul perfpicio rarefactionem validam in humoribus, fi deprehendo calorem in toto corpore intolerabilem, fi clarè obfervo aliquod vifcerum nobilium acri inflammatione infestari, fi cerno impetum ferri furibundo motu in cerebrum, fi dolores immanes, urgentes, inflammatorii, comitantur, fi denique certus fum aliis remediis me hæc superare non poffe, tum curabo mittendum fanguinem ocyus, ex largo vulnere magnæ cuidam venæ inflicto, ad prima figna futuri deliquii animi ufque. Hoc laudat Antiquitas, exigit morbi ratio, comprobatur eventus. Si autem figna funt instantis hæmorrhagiæ fpontanæ (13. 1.) abftinebo, fed jubebo frontem, naresque, foveri fpongii aquâ tepidâ humectatis. Quum verò tot conditiones pofuerim antequam velim cruorem mittere, perfpicias facilè ea quæ venæfectionem hic prohibent.

§. 21.

Medicamenta autem, quæ hic profunt, debent effe aquofa diluen-

A L I U D.

Sic fuit in fatis! multo disjungimur orbe,
Sum Gedani, sed Te Leida polita tenet.

Nos tamen assiduo junget Concordia: vultus
Mens mea praesentes spectat Amice tuos.

Nunc tandem meritis ingentibus addis honores,
Quos Tibi cum plausu clarus Apollo dabit.

DOCTOR eris felix, qui febris eximat ignes,
Languentes subito qui recreare queat.

Gratulor! & vitam Tibi Nestoris apprecor, euge!
Sis semper Patria lausque salusque tua.

Hisce paucis Doctissimo D. Candidato,
Amicorum & Fautorum integerrimo
applaudere, memoriamque fui absen-
tis, commendare debuit & lubens vo-
luit.

ALEXANDER DAVIDSON
Gedanensis.

S. M. Cand.

WILH. NEUHAUS

2. Theol. D. Philosoph.

Blod. & Hist. in Illust.

Harmonium Altkanz.

Profess.

ALIUD.